

Disputatio physica prima de nutritione ... / defendere conabitur Johannes Ulricus Widholz.

Contributors

Widholz, Johann Ulrich.
Saltzmann, Johann Rudolph, 1574-1656.

Publication/Creation

Argentorati : Typis Eberhardi Welperi, 1649.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/rpq39af>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO PHYSICA

PRIMA.

DE

NUTRITIONE.

Quam

Divinâ aspirante gratiâ

SUB PRAESIDIO

JOHANNIS RUDOLPHI SALTZ-
ANNI JUNIORIS, PHILOS. ET MED.
DOCTORIS ET SCIENTIAE NATU-
ralis Professoris ordinarij.

SOLENNITER.

defendere conabitur

JOHANNES ULRICUS WIDHOLZ
AUGUSTANUS.

Die 22 Mensis Decembris.

Horis locoque hybernis.



ARGENTORATI,

Typis EBERHARDI WELPERI.

ANNO M. DC. XLVII.



DISPUTATIO I.
DE
NUTRITIONE.

THES. I.

Nutritio quæ græcè *ἰσχύσις* dicitur, variè accipitur, quæ ipsius homonymia huic tractationi ne insidiosa sit, expedienda statim est. Sumitur enim sæpè valde improprie, & in lato sensu, quando per similitudinem quandam extenditur, vel ad ipsam educationem, qua pueri bonis moribus & literis quasi nutriri dicuntur: vel ad res inanimatas, ita ut ignis oleo, ligno, aliisque rebus combustibilibus, tanquam pabulo nutriri perhibetur: vel ad ipsam passionem, quam ex chylo ventriculus capeffit, quæ tamen quædam oblectatio saltem ex qualitatis convenientia, veræque nutritionis æmula est, ut notat *Arch. Piccol. lib. 2. prælect. anat. 16.* indeque lascivam vocat *Greg. Horst. exercit. 6. q. 2.*

II. Propriè autem significat conversionem alimenti in substantiam nutriti, vel, reparationem substantiæ amissæ per assimilationem alimenti: vel, expletionem naturalis indigentia ex alimento assimilato, vide *Celeberimi nostri Dn. D. Sebizi fascic. 14. q. 2.* Hæc ut eo melius ab impropria inanimatorum nutritione distingui possit, duas habet conditiones, tanquam notas characteristicas, quibus nutritio illorum caret. Hos ex textu Aristotelico eruendo notavit *Zabar. in Comm. ad text. 14. lib. 2. de an.* Quarum prima est, quod illa, quæ propriè nutriri dicuntur, nutriantur, non in unam saltem partem, ut inanimata, sed ut Arist. loquitur secundum contraria loca sursum & deorsum, & omnem in partem, vel ut *Gal. de nat. fac. lib. 2. cap. 4.* loqui placet, per se tota. Ratio est, quia hæc animata à potentia sive principio, quod in se ipsis habent, illa, ab externo alantur, per exemplum, lapidis nutritio non fit, nisi per appositionem novæ materiæ ad

unam, vel aliquot saltem sui totius partes extremas, quæ contingere possunt. Secunda est, quod illa quæ verè nutriuntur, semper nutriantur, semperque vivant, quousque alimentum accipere possunt, quando verò nutriri desinunt, moriantur, & sic esse desinant, itaque ad suam conservationem incessantem & continuam nutritionem requirant, de quo plura in sequentibus; hinc notasse sufficiat, cum non semper fiat conversio alimenti in partium substantiam, hujus nutritionis durationem sine intermissione *Zabarellam* in actione caloris in humidum, quæ per totam vitam nunquam cessat, quærere; verum cur nutritio, ut ex sequentibus patebit, in conversione alimenti in partes consistat, hæcque fiat propter illam actionem caloris in humidum, ut absumptum aliunde restituatur, & sic ipsa nutritio illaque calor & actio sint distincti actus, apparet, ipsum, quod in illa quæsivit, invenire haud potuisse. Et de hæc posteriore nutritione, quæ sola ad propriam viventium augmentationem concurrit cum *Aristotele* nobis in sequente discursu agendum erit.

III. De hæc autem ab initio statim non frustra an detur, quæritur? fuerunt enim ex scholasticis *Lombardus*, quem communiter Magistrum sententiarum vocant, & alij, qui eandem negarunt, dicentes: vivens nunquam acquirere novam substantiam, sed cum ea, quam accepit per primam generationem, per totam vitam conservari, alimentum autem indigere, non ut illud convertat in propriam substantiam, sed ut calor naturalis in id agendo avocetur, ne agens circa propriam viventis substantiam, illam consumat. Converti autem caloris operatione alimentum istud, in illa excrementa, quæ per virtutem viventis expulsivam expelluntur. Probatio hujus sententiæ desumitur à testimonio Christi, qui *Matth. 15.* dicit, omne quod intrat in os, in ventrem vadere, & in feces emitti. Et à rationibus, quarum quatuor recensent *Connibr. & Ruvio Rhodensis* unam ab illis diversam in *Comm. lib. 2. generat. & corrupt. c. 5.* illi, *quest. 11. hic quest. 1.* Ex quibus potiores sunt, quod alias sequatur essentiam alicujus hominis, ut Socratis, ad singulas horas mutari, & sic ipsius identitatem amitti. Item quod alias hausto valde salubri & vitali cibo senio confectus in juventutem efflorescere, & in multas sæculorum ætates vitam producere posset.

IV. Verum ad has probationes, faciles sunt responsiones. Quod scilicet Christi verba, populariter & κατὰ δόξαν ἢ ἀλήθειαν intelligenda sint, vel cum Thoma ita explicanda, quod non omnis cibus &

secun.

Secundum omnes partes in ventrem vadat, & in secessum emittatur, sed secundum maximam, & impuriorem sui partem, quæ post cujuslibet cibi primam concoctionem in stomacho factam relinquitur. Et sic universalis sit propositio ex parte ciborum & subjectum ejus distributum pro omnibus & singulis cibis, sed in ordine ad partes eorum indefinita. Rationes vero quod attinet duæ notatæ nihil evincunt, & quidem nihil prima, quia mutatio illa successivè fit, & ex parte solius materiæ, non formæ, & ab hæc, non illâ, res suam denominationem & identitatem habent, tanquam termino ad quem. Neque secunda, quia nullo cibo etsi saluberrimo potest restitui humidum æque bonum atque id, quod nobis à natura per generationem concessum est; sed in hæc in sequentibus accuratius inquirendum erit.

V. Rectius ab *Aristot. lib. 2. de gen. & corrupt. cap. 5. & libro 2. de an. cap. 4.* affirmatum fuit, alimentum revera in substantiam corporis viventis converti, & sic proprie dictam nutritionem dari. Quia corpus vivens augetur, quæ auctio fieri nequit, sine conversione alimenti in substantiam, in hoc enim discrimen situm est, quo augmentatio viventium & inanimatorum differt, quod hæc non intro recipiant ut illa. Neque enim viventium auctio per rarefactionem fieri potest, ut *Albertus Magnus* putavit, quomodo aër & aqua & alia corpora calefacta rariora & ampliora fiunt, quia crescente ætate partes solidiores & densiores fieri, & tamen majorem quantitatem acquirere, constat. Neque fit simplici appositione, quomodo lapides crescunt, quia quæ hoc modo augentur, secundum unam vel aliquas saltem partes extremas nutriuntur. Prima autem conditio veræ nutritionis debet in omnem partem nutriri, ut supra ostensum fuit; pro hujus rationis confirmatione & illustratione majori aptissima sunt, quæ habet *Phil. lib. 1. de nat. fac. c. 7.* 2. Quia calor natus per totam viventis materiam diffusus, & aliæ causæ externæ corpus vivens alterantes incessanter læviunt in partium substantiam, ipsamque depascunt, sicut in oleo, non ergò eandem materiam, quam quisque à prima origine accepit, perpetuò ut conservet, possibile est, & sic minus durabiles essent ista corpora, quam ipsa experientia docet, nisi per conversionem alimenti partium substantia absumpta restauretur.

VI. Quid autem hæc nutritio sit explicat ejus definitio. *Definitur communiter quod sit conversio nutrimenti in corpus animatum.* Quæ definitio *Ludovico Vive* adscribitur & à *Scaligero exerc. 101. f. 17.* improbatur, quod videatur non totam nutritionis naturam exhaurire

quodque in illa conversione non consistat nutritionis ἐπιπέχεια & perfectio, ut loquitur *Goclenius in adversariis ad Scalig exerc. quæst. 3*. Ipse verò Scaliger definit per unionem naturalis nutrimenti transmutati, cui respondet vox assimilationis, quo utitur *Gal lib. 3. de temperament. c. 3* ubi nutritionem nihil aliud esse dicit, quam assimilationem perfectam, hancque à mutatione distinctam facit; quo confirmatur quod *Scalig. l. c.* dicit, aliam esse virtutem quæ mutat, & aliam quæ incorporat sive unit, quodque apud Galenum utrumque separatim habeatur, μετὰβολὴ καὶ ἐνωσις. Verum si rectè consideretur & accipiatur vocabulum cōversionis, ex sententia eorum, qui eo utuntur, vel generalius pro mutationis actione in se comprehendente quatuor illos nutritionis gradus, alterationem sive concoctionem, appositionem, agglutinationem, & assimilationem, quo ultimo ipsa incorporatio & unio alimentum, non tamen nisi tribus prioribus præsuppositis accidit; vel specialius, pro actione, quæ non est alia ab ipsa unione, sed cum ipsa unam eandemque constituit, per quam alimentum convertitur, simul unitur, idemque numero cum partibus fit, beneficio unius potentia nutritivæ, quæ simul & conversiva & unitiva est. Et licet inutilis scholarum subtilitas conversionem ab unione distinxerit, & de hujus prioritate multum sollicita fuerit, ita ut quidam etiam extra temporis durationem, prioritatem unionis excogitarint, in instanti initiatio ipsius conversionis, quod est ultimum non esse ipsius alimenti. Aliter prioritatem naturæ unioni attribuerint, tanquam causæ sine qua non conversionis. Rectius tamen ostendit *Ruvio Rhodensis lib. de gen. & corr. c. 5. tr. de augment. quæst. 5.* quod præter necessitatem hujus actionis multiplicatio fiat, nullaque prioritas effingenda sit maxime cum numerus facultatum, numero actionum respondere debeant, quia nihil sine causa fit, teste *Valles. controvers. Med. & Philosop. lib. 2 c. 18.* Unica autem est facultas alitrix, quæ & unitiva, & conversiva, ergo & unica harum actio, vel est per subordinationem, vel utraque unius actionis naturam induit. Non pugnant hæc duo genera, conversio & unio, sed hæc in illa continetur, & sic ambæ definitiones, utrumque vocabulum, vel etiam assimilationis, itemque suffusionis, quo etiam utitur *Scalig. exerc. 136. f. 2.* admitti possunt.

VII. Sic *Zaberella* illam definit *lib. de accret. & nutrit. cap. ult.* & alio planè speciali quoque vocabulo utitur, quod sit aggeneratio partium materiæ in corpore vivente ex alimento intro recepto, facta ab anima per calorem naturalem, ut materia quæ effluxit restauretur &

& ipsum vivens servari possit, ad illud usque tempus, quod ipsi à natura præscriptum est. Hanc definitionem præ reliquis hinc nostram faciemus, quia priores explicat, totam naturam nutritionis accuratè complectitur, & quatuor causis constat, indeque huic tractationi valdè convenit.

VIII. Ne autem hic idem error accidat, qui de formis, quas in generationibus specierum revera & propriè fieri, plerique Interpretes Aristotelis negarunt, quia non solitarie sed cum composito fieri, & sic confieri, comproduci, & congenerari, dicuntur; quam controversiam, quæ hujus loci non est, vide exactè enodatam apud nobile illud Philosophorum par, Scharffium in *Phys. recog. general. & Sperling. instit. Phys. lib. 1. c. 3. quest. 1.* Sic dum nutritionem, aggenerationem Zabarella vocari admittimus; ne quis existimet, quasi non verã generationem in ea contingere statuamus? ut quidem Goclenium opinatum esse apparet, in *antea cit. quest.* quando dicit: *Dicitur autem non simpliciter generatio, quia auctum manet idem quoad formam, nec nova aliqua species existit, sed aggeneratio, quia caro generatur adjuncta alteri carni.* Cum enim omnis mutatio suam distinctionem & denominationem specificam à termino ad quem accipiat, ut axioma physicum habet, hujus autem mutationis terminus sit substantia, quæ ex cibo secundum speciem cujuslibet partis de novo producitur: substantiæ autem productio sit generatio, sicut qualitatis acquisitio alteratio, & quantitatis auctio dicitur; rectius cum *Sennerto nostro lib. 6. c. 2. Scient. nat.* nutritionis opus ad generationem verè sic dictam, quam motum referimus, & sicut confieri fieri, comproduci produci, congenerari generari, sic & aggenerari quoque generari nomine & re ipsa continet. Neque enim unico isto modo, quo generans ex se secundum speciem simile producit extra se, & sic seipsum sine omni sui mutatione multiplicat, omnis generatio absolvitur: sed & alius adhuc datur à quo generatio transmutativa ad distinctionem illius multiplicativæ dicitur, quo forma alicujus agit in aliquam materiam substantialiter eam transmutando, eamque suæ speciei assimilat. Imo plerumque huiusmodi ad unam generationem conspirant, semen enim per quod generans sese multiplicat, transmutatur in corpus generandum, & forma, quæ in illo latitat, ex alia materia convenienti attracta, elaborata & transmutata corpus sibi affingit, quod informat & actuat. Itaque etiam forma cujuslibet partis in nutritionem attrahit sibi convenientem succum, quem suæ parti incorporat, seque in illam multiplicando

secundum corpoream extensionem quasi extendit, & sic semper novum quid quod antea non erat, secundum speciem suæ partis producitur, in quo sane consistit ipsa generationis formalis ratio.

IX. Causas quod concernit, & quidem efficientem docet *Arist.* lib. 2. de an. cap. 4. t. 38. 39. & 40. olim Empedoclem fallaci iudicio statuisse, nutritionem ab elementis illorumque motu naturali provenire, ita ut plantæ inferior pars, radix scilicet terræ, quæ gravis est, & sua natura deorsum tendit, superior verò, ramos & folia puta, ignis beneficio, qui levis est sursumque ascendit, nutriatur. Quam sententiã *Arist.* carpit duobus modis. Primò quod licet ex relatione ad universum, superum & inferum in plantis ita se habeat, tamen etiam, & magis, in viventibus ab ipsorum natura, huiusque respectu, excepta intellectiva, quia inorganica est, à tribus potentijs reliquis, vegetativa, sensitiva, & motiva, sex positionum differentię æstimentur, ita ut à sensitiva, anterior, in qua sensus vigent, opposita in posteriore: à motiva dextra, in qua motus localis initium fit, opposita, sinistra, sic & à vegetativa, superior, per quam alimentum sumitur, opposita vero, inferior dicatur. Secundò, quod inde absurdè sequatur elementa in plantis ab invicem separata esse, & singula suum locum, mutuoque contrarium petere, sicque plantam dissolvi, hoc autem fieri necessum esse indicat, nisi eadem contineret, viribusque elementorum imperaret anima, ne separentur. Potius ergò animam, quæ forma est, & non elementa, quæ materiæ locum habent, veram nutritionis causam esse concludit. vide *Zabarel. & Havvenr. nostri p. m. Comm. in lib. 2. de an. Arist. c. 4. t. 38. & 39.*

X. Sic & alios defraudatos ibidem notat, quos Democritum & Leucippum fuisse interpretes testantur. Qui non ut ille, omnia elementa, sed solum ignem simpliciter nutritionis causam dixerunt quod videbant, solum inter elementa, ignem nutriri & augeri. Hoc refutat *Aristot. ibid.* ut fufius videre est apud *Zabarell. & Havvenreut. loc. cit.* I. Quod etiam alia elementa aër & aqua hoc modo nutriantur & augeantur. II. quod hic modus non sit verus sed apparens ipsaque nutritio impropriè sic dicta, quia nutritio proprie solis viventibus competit. III. Quod auctio & sic quoque nutritio ignis, in infinitum procedat, dummodo combustibile habeat, in animatis verò contrariè sese habeat, & anima regat potentiam ignis, nec sine illa operari, secundum totam suam potentiam. Potius ergo iterum nutritionem ab illa superiore causa, anima, quæ forma est, quam igne, quæ

quæ pars est materialis, provenire: posse tamen ignem ut concausam, non quidem, quæ sit æqualis virtutis & dominij, sed ut subjectus est, & instrumentaliter admitti, quia calor est animæ Instrumentum.

XI. Rectius nos distinguimus causam efficientem in principalem, Instrumentalem, & impulsivam. Principalem dicimus esse ipsam animam, quæ ut, tanquam forma, omnium operationum corporis sui fons est, ita quoque suis stipata facultatibus, unâ primariâ nutritivâ, & quatuor minus principalibus, quas ministras & adjuvantes vocant, attractrice, retentrice, expultrice & concoctrice, opus nutritionis præstat & perficit, *Confer. t. 37. & 40. Arist. cit. lib. qui um affirmant nihil ali, quod vitæ non communicat: & illo Scalig. vercit. 102. sect. 5. quod vita sit ab anima, colligit Iul. Pac. in comm. in unctextum, citante Scheibl. disput. 5. th. 9. lib. de an. quod nutritio omnino sit ab anima.*

XII. Circa has facultates notandum est. I. illas à quibusdam causas medias & instrumentales haberi, inter animam & operationes. Sed accuratius *Sennertus p.m.* hanc rem excogitavit, qui in *Epit. scient. nat. lib. 6. cap. 1.* hoc negat, & saltem conditiones & aptitudines, easdem ad operandum vocat. Est enim ut *Metaphysica* docet, facultas nihil aliud, quam potentia activa, sive illa ratio & vis, secundum quam natura potest agere, operationes vero sunt ab actu.

XIII. Notandum est. II. Has facultates sic vocari à Philosophis de operationibus quæ ipsis improprie adscribuntur: & quidem nutritivam, quæ & vegetans & altrix dicitur, ad distinctionem attractricis & generatricis, à quibus realiter diversitate objectorum & modorum distinguitur, & licet circa idem alimentum auctrix cum nutrice versetur materialiter, tamen non formaliter, altrix enim respicit substantiam ut talem, auctrix verò ut quantam, *teste Aristot. lib. 2. de gener. cap. 4. t. 4.* de qua controversia vide rationes in utramque partem à *Greg. Horst. Citat. Exerc. 3. quest. 2.* Galeno verò & Medicis naturalem, ad distinctionem animalis & vitalis, vide *Sennert. in Instit. lib. 1. cap. 9.* Easdem autem maximè necessarias esse ad determinationem animæ, ad nutritionis opus, duplici demonstratione firmat, itemque sufficere ostendit *Fernel. lib. 5. de an. fac. cap. 4.* quod alia, quæ ex suis effectis, appositione, agglutinatione, assimilatione, & secretionem conspicuæ sunt, ex prioribus procedant, est enim appositio finis attractionis, agglutinatio tum retentionem, tum continuationem sequitur, assimilatio verò à concoctrice perficitur, quæ

cum

cum summa sit, in quam reliquæ contendunt, præ cæteris jure alitrix vocari debuit, secretio tandem aut excernentis aut attrahentis opus est, confer *Francisc. Piccolom. de accret. cap. 5.* & hoc modo tres potius ministræ, præter primariam unam tantum constituendæ videntur.

XIV. Sequitur instrumentalis, quam variam esse dicimus: neque cuiquam admirationi esse debet Instrumentorum numerus, quæ nutritionis gratia natura condidit, alia namque idoneum cuique particulæ nutrimentum alterando præparant, alia separant excrementa, alia transmittunt, alia suscipiunt, alia expellunt, alia salubrium succorum in omnem partem ferendorum viæ sunt, inquit *Galen. lib. 1. de nat. fac. cap. 10.*

XV. Hujus autem nomine primò venit calor naturalis, manifestum enim esse dicit *Perer. lib. 7. cap. 14.* accretionis & nutritionis causam efficientem esse animam, calorem autem naturalem esse quæ administrum & instrumentum animæ; confer *Arist. lib. 2. de gen. animal. cap. 4. in fine*, qui exemplo artis instrumento utentis, idem ostendit. Non autem quivis, & sic non elementaris, qui mixtis ut talibus inest, per putredinem amittitur, & à quibusdam *σύνουλον* dicitur: Multo minus is, qui præter naturam accidit, & febrilis dicitur, qui naturæ inimicus est: sed ille *ἑμφύλον*, blandus, & nativus, qui viventibus proprius est, & partibus ex feminis calore communicatur, indeque vitalis dicitur. Est enim anima nobilior forma, inanimatorum formis præstantioresque edit operationes, & sic nobiliore, perfectioreque ministerio & instrumento utitur, pro operationibus sibi proprijs, ætioris ordinis, præstandis. Non tamen eosdem semper gradus in quolibet vivente hic calor habet, est enim in perfectis animalibus maximus, potissimum in sanguineis, in plantis multo obscurior

XVI. Ad Instrumentalem nutritionis causam quoque pertinent, certæ corporis partes, & quidem in animalibus, os, oesophagus, ventriculus, epar, venæ sanguinem deferentes, quæ dissimilares sunt & organa nutritionis καὶ ἐξοχόν vocari in usu habent, quanquam enim nutritio sit communis actio, quæ omnibus partibus competat, ut loquitur *Sennertus in Instit. Med. lib. 1. c. 3.* tamen aliæ partes non nominantur hujus officij organa; quia alias functiones principales habent, vide *Philip. Melancht. de an. tr. 3. cap. 2.* Has autem partem omnium commodo destinatas, triplex villorum sive fibrarum generata esse, quibus facultates ministræ, quæ motu suum munus implent, indiguerunt, hætenus recepta fuit sententia. Rectas & p

ngitudinem porrectas, quibus attractrix, obliquas, quibus retenti-
x, & transversas, quibus expultrix utitur, concoctrix verò ad suam
tionem nullas fibras, sed calorem paulò ante explicatum accom-
odat, vide *Gal. de nat. fac. cap. 8. & 11. & Fernel. cit. lib. c. 6.* Hanc
sententiam de fibrarum usu in dubium vocat *Cass. Bauhinus in*
. anat. lib. 1. cap. 7. & negat, per fibras istas dictas actiones fieri: quia
on sint carnosæ, neque moveant, & potius cum *Fallopio* statuit, par-
s istas quiescentes, tales actiones præstare similitudinis vel dissimili-
dinis ratione, veluti magnes facit. In plantis sunt radices, quæ qua-
os arborum habentur, verum cum partes quæ pro organis nutritionis
serviunt, sint minus evidentes in plantis, & distinctiores in anima-
us, potissimum iis, quæ perfectiora dicuntur, omnium autem maxi-
è in homine, totum nutritionis opus clarius majoreque apparatus
rfitur, hujus primario respectu ipsam considerationem hanc insti-
ere dignum est, eoque magis, cum hic canon & regula reliquorum
imatorum, utpote inter ea illustrissimum, perfectissimum, & nu-
eris omnibus absolutissimum, ut loquitur *Goelen. in præfat. ad lect.*
comm. de corpore animato Seidelij.

XVII. Impulsivam dicimus esse appetitum, qui licet multi-
x detur, quot enim sunt rerum ordines, tot sunt gradus & ordines
petitum, ut testatur *Francis. Piccol. gr. 1. de mat. virt. c. 12.* Tamen
a summa genera ejus notantur, ita ut alius sit naturalis, alius ani-
lis, alius rationalis: ex quibus relicto posteriore, duo priores po-
imum in nutritionis opere considerandi sunt.

XVIII. Et quidem naturalis quem definiunt *Conimbr. in 3. lib.*
st. de an. cap. 13. quest. 1. inclinationem sive propensionem, quam
umquodque, nulla præeunte notitia, solius naturæ ductu fertur in
quod sibi conveniens est. Hoc, materia appetit formam, magnes
nit ferum, levia sursum, gravia deorsum tendunt, *Zabarell. lib. 2. de*
grav. & lev. cap. 9. Hic est species illius amoris omnibus insiti,
nium operum effectoris, & servatoris, de quo multa præclara in
tonis convivio & comm. *Mars. Ficini in idem, orat. 3. cap. 1. & seq.* Hic
ingulare & maximum illud opus naturæ, quod *Clariss. Scharff. in*
recog. sp. lib. 2. cap. 2. dub. 1. naturæ raptum appellari docet, quo
ne simile attrahit simile, & tota natura similibus rapax est, dissimi-
unque fugax, ut multis actionum realium & intentionalium, quas
eriores, magneticas & patheticas vocant, exemplis demon-

XIX. Et huius generis etiam est appetitus plantarum, quod unico alimentum desiderant, suis radicibus id alliciunt, arescentes regenerationem cupiunt, eaque reficiuntur. Hujus generis etiam ille est quo quælibet pars brutorum & hominis exhausta, pro sui restauratione, conveniens alimentum ex venis rapit & in se convertit.

XX. Hi autem appetitus, ex quibus hæc in plantis & animalibus fiunt, non sunt potentia & facultates peculiare ipsarum animalium, sed fiunt æque ac in pure naturalibus, simpliciter secundum naturam & eius ductum, quæ ipsa quoque ad bonum sibi que simile ordinata est, à Deo Conditor, ut appetat hoc modo, quæ salutaria sunt, noxia respiciat, ut accurate monet *Seidelius in Comm. de corp. & an. Magirus in Comm. in Phys. lib. 6. cap. 16.*

XXI. Hinc verò difficilior quæstio existit. Fiantne hi appetitus in stirpibus & partibus animalium sensus quadam præcognitione, qua suavia & insuavia internoscant, & ad illorum appetitum concitantur? *Fernelius lib. 5. cap. 5. de an. fac.* solita & accurata brevitas duas contrarias opiniones circa hanc quæstionem notat. I. illorum quos ex Platonis consulto, qui stirpes nonnunquam animantes appellavit, in affirmativam ivisse docet. Qui hunc instinctum, sensum cognitionem, non ut aspectum, auditum, & reliquos animalium sensus, sed proprium quendam & naturalem vocarunt. II. Aristotelis, suorumque Interpretum, ex quorum parte & ipse stat. Qui hanc vim præcognoscentem altioris facultatis, quam communem sensum vocant, esse docent. Hosque appetitus naturales stirpium, partiumque corporis animalis, nullo sensu aut cognitione, sed penitus & indigentia eius, quod familiare est, & jucundum, per istam inclinationem & propensionem, qua omnia pure naturalia in finem rationis cognitum feruntur, impelli. Sed hæc quæstio eleganter & perspicue tradita legi potest; *in instit. Phys. Clariss. Sperling. lib. 1. cap. 6. quæstio.* Hic monuisse sat erit, forsitan non tam in re quam in verbis, dissidium esse. Hi enim loquuntur de sensitiva cognitione proprie sic dicta, cuius in animo impressa sensuumque operatio est, hancque in nullo, nisi in anima sentiens est, dari, rectè & sine omni contradictione, statuunt. Sed verò de cognitione in amplissimo sensu, & sic illam rebus pure naturalibus, eadem libertate tribuunt, & naturalem vocant, ac appetitum unanimi consensu, illis adscribitur, naturalisque dicitur, ut ex *Sennert. Hypomn. 1. c. 5.* apparet. qui ita ait, *Ut appetitus quidam naturalis, qui vulgo instinctum naturalem vocant, datur; ita etiam datur cognitio ali-*

naturalis, à sensu & intellectu distincta; Nihil enim appetitur, nisi, quod prius cognoscitur, &c. An non verò ab accurata loquendi ratione philosophica magis absit, vocis cognitionis, sensusque abusus, quo ad res insensibiles, à sensilibus transfertur, quam vocabuli appetitus, cum sensitiva cognitione sensilia ab insensibilibus, plurimum à se mutuo removeantur, totoque genere distinguantur, non itidem appetitu, qui cum illis pure naturalium propensionibus magnam familiaritatem habet, quæ statim cogitanti sese insinuat, neque dum illis applicatur, iam distonum conceptum efficit; liberè philosophanti iudicandum candidè relinquitur.

XXII. Præter hunc naturalem appetitum, quo sibi ventriculus animalium, æque ac reliquæ partes, alimentum proprium cupit, animalium quoque sive sensitivo idem gaudet appetitu; Qui ita vocatur, tum, quia omne animal eo ut communi, ducitur, tum, quia sensitivam apprehensionem sequitur, ut *Scheibl. disp. 12, th. 6. ex Armando de bello usu notat.* Hoc ventriculus incitatur, alimentum toti corpori necessarium appetit, & ut ille certo quodam instinctu agit, ita hic exquisitissimum sensum tactus conjunctum habet, quo partium indigentiam, per suctionem percipiat; cuius etiam rei gratia ad orificium ventriculi superius, quod hujus appetitus sedes est, haud mediocriter nervorum par, à sexto pari de cerebro defertur, teste *Gal. de usu part. lib. 4. cap. 7. Fernel. de funct. & hum. lib. 6. cap. 2. Bauh. theat. anat. in hist. ventr. & alijs.*

XXIII. Sicut autem non admitti potest, hanc appetendi vim, ad cor vel hepar, principaliter & radicaliter referre, sed ad cerebrum, quod, ut commune sensorium: ita & hujus facultatis organon est, habet enim hic appetitus antecedentem causam, sensum & imaginationem, quorum sedes est in cerebro, vide *comm. Magir. in lib. 6. Phys. c. 16.* ita neque concedi potest, quod dicit *Capivaccius lib. 3. pract. Med. de affect. ventr.* appetentiam animalem fieri in ore ventriculi, quatenus illam à cerebro per nervos suscipit, vel illa influit. Rectè enim monet *Sennertus in inst. Med. lib. 1. cap. 6.* potentias has animæ, ab ipsa inseparabiles esse, & ab animæ essentia per simplicem emanationem provenire, & sic illam ubique illis instructam esse, nec aliunde mutuari, à quibusdam autem partibus subjectivè recipi, ab alijs non, & sic potentiam visivam, in omnibus partibus, etiam pede, ejusque calcaneo esse, solum tamen oculum eandem ut idoneum subjectum recipere.

XXIV. Tutius itaque statuitur, dum os ventriculi superius,

hujus appetitus sedes dicitur, illam non à cerebro influere, sed verum ipsum actum appetitus in cerebro fieri, tribui autem ventriculo, propter divulsionem, quæ in ipso fit, hujusque sensum, & sic improprie. Vel, quia sensus tactus sedes est, & beneficio concessorum nervorum magnum influxum spiritus animalis habet, fieri posse, ut pro illa dispositione receperit, ut subjectum, aliquid illius potentiae appetitivæ. Quo respexisse videtur *Fernel. lib. 5. cap. 9. de an. fac.* quando ait, communem sentientem appetitum primario quidem in cerebro situm esse, illius tamen seminaria in alias quoque partes naturam fudisse. Etenim rursus, hunc, qui volet, poterit exortus sui modo, in plures species distrahere, ut alius ex jecoris virtute in pudenda, & in os ventriculi diffusus illecebram & incitamentum inde accipiat, alius ex cordis impetu & fervore, alius, nempe sentiens, ab his quæ foris occurrunt stimuletur, omnes quidem animales, sed variis orti principiis.

XXV. Quia autem solidæ corporis partes, solido quoque, id est, cibo seu alimento nutriuntur, liquido autem solidum elixatur & defertur: nutrimentum enim esse non posse, quod non est elixabile, axioma physicum docet, vide *Clariss. Scharff. lib. Phys. spec. 6. c. 3.* Hinc duplex ille appetitus sensitivus in ventriculo constituitur, unus qui fames dicitur, & est alimenti appetitus. Alter sitis, quæ est alimenti vehiculi appetitus, ut loquitur *Capivacc. lib. 3. c. 7. med. pract.* Quorum tamen primus comparatione principalior est, quia immediatè ad reparationem deperditi, & partium solidarum restaurationem dirigitur. Hic verò ad præparationem tantum alimenti, ut per potum cibus liquetur, melius elixetur & distribuatur. Ob id statuit *Zabarell. lib. 2. de an. t. 28.* cibi conditionem essentialem & necessariam esse, ut nutriat, non item potus, satis enim esse ut liquativus sit, & si quis à potu nutriatur, id potum non facere, ut potum, sed ut simul cibus est.

XXVI. Quod autem *Capivaccius* solidum & liquidum vocat, id *Aristoteles* & *Philosophi* per siccum & humidum exprimunt, à quarum qualitatibus contrarietate etiam *Zabarell. loc. cit.* rationem aliam divisionis appetitus in duas dictas species nobis concedit, quod scilicet cum sint contrariæ, non possint uni eidemque appetitui, sed duobus diversis adscribi.

XXVII. Dicitur autem fames ab *Aristot. lib. 2. de an. cap. 3. text. 28.* Appetitus calidi & sicci. Sitis verò, appetitus frigidi & humidi. Quas definitiones variè impugnatas, & tum absurditatis, tum falsitatis à quibusdam accusatas, vide apud *Conimbr. lib. 1. de gen. & corr. cap.*

ap. 5. art. 1. Quod neutra appetitus rectè dicatur, quia dolor potius
& fuga. Neque possint referri ad appetitum sensitivum, quia resident
in ventriculo. Neque sint in nostra potestate: Quod non omnia ali-
menta sint calida & sicca, sed quædam frigida & humida, ut vinum &
alia. Imò quod fames exsiccet, & sic per illum potius humidum expeti.
Quod alimenta etiam dulcia sint, & ejus potissimum gratia quæran-
tur. Quod frigiditas non per se concurrat ad vitæ opera, ideò neque à
natura expeti, ut neque omne humidum.

XXVIII. Sed his non obstantibus rectè Aristotelem loquu-
m esse, asserimus. Quia enim appetitus quinque motibus, sive, ut
alen. lib. 1. cap. 7. de sympt. causis vocat, symptomatibus absolvitur:
Præterea primus est, ipsa inanitio ex defectu alimenti. Secundus, ap-
petentia naturalis partium. Tertius, suctio desinens in divulsionem
ventriculi cum acri morfu. Quartus, sensus suctionis dolorificus.
Quintus, ipse actus appetitus animalis. In quorum quarto fames &
sitis quidem potissimum consistit. Quia tamen ipsa divulsio ex præ-
cipuis partibus, una, totius actus est, illamque immediatè ipse ulti-
mus actus appetitus sequi videtur: fit, ut tùm synectochicè, tùm cau-
saliter appetitus vocetur, qui quidem primariò in cerebro situs est,
cuius tamen fomitem etiam natura, ut in cor, iræ & concupiscentiæ
domicilium, ita non minores, imò maximas in pudenda, & os ven-
triculi coniecit, in quibus distinctis sedibus, distincti actus, uno ta-
men eodemq; sensitivo, sive animali appetitu reguntur. *vide Fernel lib.*
cap. 9. de an. fac. & confer similia ex eodem th. 24. supra notata. Ho-
mum autem actuum quidam sunt in nostra potestate, qui scilicet volunta-
subditi sunt; alii vero, qui necessitatem materiæ sequuntur, qualis
fames & sitis est, non sunt: *vide Conimbr. lib. 1. cap. 5. art. 3. de gen.*
corr. Et Stier: quæst. controvers. sect. 3. quæst. 8.

XXIX. Quod vero calidum cum sicco fami: & frigidum cum
humido siti adscribitur, fit, in genere, quia hæc qualitates sunt essen-
tiales, & à priori conditiones elementorū, & cujus hæc sunt potissima
portio alimenti propioris. Aliæ vero qualitates, potissimum dulce-
sive suavitas, sunt alimento accidentales, neque faciunt, ut alimen-
tum nutriat, sed saltem ut animal alliciatur ad sumendum cibum &
potum, & sic voluptati magis quam nutritioni conferunt. Unde
etiam fames & sitis, cum diriguntur ad alimentum, istas qualitates
primas, non autem saporem, respiciunt, primoque intendunt, ut
Abarell. innuit, lib. 2. de an. t. 28. Comm.

XXX. In specie verò in fame siccum alimentum locum habet h. e. quod prædominium terræ habet, & solidum est, ut deperditum in solidis partibus restituatur. Calidum secundariò tamen, quia magis vitale frigidò, eo servatur motus ad extra, quia alias, dum in alimentum agit, nimia concentratione facile suffocaretur: cibus etiam calidus facile concoquitur. Et licet interdum cibi frigidi & humidifint, quibus fames expletur, tamen neque illorum cupiditas est ordinaria & perfecta, neq; ipsi primarium objectum famis habendi sunt, sed appetuntur ob suavitatem, & nutriunt ob admixtum siccum: nec enim quivis cibi appetitus est naturalis, neque quodlibet assumptum nutrit, exemplo morborum illius affectus gravidarum, qui pica Medicidicitur, & illorum quæ introsunt, quæ sæpe ab alimentorum genere longe sunt aliena. Neque hæc qualitates hoc loco in summo gradu sumendæ sunt, ne ignem pro cibo ponere cogamur, sed facta comparatione ad sitim: In quo ad humidum respicitur, h. e. liquidum ut cibus magis liquetur, siccitas à calore introducta temperetur, & ariditas evitetur; frigidum verò, quia sitis à siccitate per calorem oritur, & ut caloris motus ad extra compescatur, hinc post cibos calidiores & tempore æstivo potus frigidior desideratur: de quibus hic saltem delineatis, fusius videre est *Zabarell. & Capivac. loc. cit.*

XXXI. Fit autem uterque appetitus per quinque dictos motus, sequenti modo. Cum partes corporis continuo motu & calore consumantur, ipsæ quoque partes simul exinaniuntur, ob alimentum defectum, propterea incipiunt naturali quodam instinctu appetere restaurationem illius, quod consumptum est, & sic attrahere ex venis capillaribus, quæ rursus venas majores sugunt, hæc cavam, hæc per suas radices cum radicibus portæ per anastomosin junctas, & per hepatis substantiam sparsas, ipsam portam & venas meseraicas, quæ intestina potissimum tenuia, hæc ventriculum qui per longo ductu continuatam suctionem divellitur, cum morfu & sensu doloris, qui beneficio nervorum inferorum, & à sexto pari communicatorum, in superiori orificio percipitur, indeque ad communem sensum & phantasiam defertur, quæ ex hac divulsione percepta & judicata, elicit notitiam noxiam, & apprehensionem alimenti convenientis & necessari, quod proponit appetitui sensitivo, qui in illud statim per actum appetendi fertur, ut vitæ consulat.

XXXII. Materialem nutritionis causam consideramus aliam in qua, quæ subjectum: aliam ex qua, quæ objectum dicitur. Illud est ipsius

ipsum corpus quod consideratur, primò ut animatū est & vivens, omne enim corpus quod nutritur est animatum, & quod vitæ & animæ particeps non est, non nutritur, est enim nutritio effectus animæ vegetativæ & sic soli animato corpori competit: quamvis enim alia etiam nutrirī dicantur, quæ aliquo conservantur, ut ligna oleo, vel alia aliqua re, impropriè tamen & per translationem hæc nutritio appellatur. *vide Havvenreut. nostr. p. m. in Comm. in text. 43. lib. 2. de an. cap. 4. Arist. & Zabarell. lib. 2. de an. t. 14.* Hinc neque humores, neque sanguis, neque spiritus, neque lac, semen, adeps, pili & ungues, verè nutriuntur, quia non eadem communi vita cum toto fruuntur, sed ipsorum restauratio per solam fit appositionem, quæ potius est nova generatio, *vide Conimbr. lib. 1. de gen. & Corr. cap. 4. quest. 23, 24, 25. Valles. controvers. med. & Philos. lib. 2. cap. 4. Bauh. de part. sim. part. 1. cap. 2. Et venerandi nostri Dn. D. Sebiziij Exerc. 16. probl. 6. & Exercit. 25. probl. 10.*

XXXIII. Consideratur secundo hoc corpus, ut quoddam essentialē & compositum ex materia & forma. Omnes enim actiones & passionēs de ipso toto supposito, veluti subiecto agente & patiente, propriissime dici, testatur in genere *Meisnerus in sua Philos. sobr. part. 1. sect. 1. quest. 12. memb. 2.* *Scaliger* verò, in specie id demonstrat *exerc. 101. sect. 15.* per omnia genera mutationis, & inhærens tandem augmentationi, cum qua conjungit nutritionem, de illa concludit augeri Cæsarem, cum crescit adolescens, non autem vel materiam vel animam Cæsaris: quo nihil aliud vult, quam augmentationem esse compositotius, de hæc vero totum ipsum vivens corpus ali, quod est materia quanta sub forma, *Confer quæ habet exerc. 307. f. 36.* ubi negat, edere & bibere esse corporis operationes, sed totius hominis. Idem expresse confirmat *Zabarell. lib. de accret. & nutr. c. 25.* Et ita dicitur subiectum QUOD, ipsum compositum, hoc est, corpus vivens, quod constat ex materia & forma. Alias etiam ipsum corpus, ut subiectū QUO, consideratur; hocque modo acriter disputatur, secundum quam sui partem essentialē, nutritionem fieri dicendum sit? Alij enim secundum materiam, alij secundū formam: argumentis utrinq; parati sunt, quibus se mutuo subtiliter exercere, & vincere studēt, *vide Scalig. exerc. 282. f. 1. Zabarell. de accret. & nutr. c. 18. & seq. Goclen. in advers. ad Scalig. exerc. quest. 34.* Paucis hic dicimus, id quo nutritur corpus propriè & per se materiam esse, hujus enim ut est consumptio, ita & restauratio, & non formæ, quæ est immutabilis: formam autem non nisi admodum impro-

impropriè, & quatenus materia informata nutritur, vel quatenus facultas patiendi motum nutritionis, animam, tanquam rationem formalem consequitur. Qui verò subjectum quo, tantum formam, nullo modo vero materiam esse contendunt, ex falso principio, quod forma simul sit principium activum & passivum concludunt, quam sententiam in Zabarella damnat *Scheibl. part. 1. de an. disp. 5. th. 27.*

XXXIV. Consideratur tertio hoc corpus, ut totum quoddam integrale, quod constat patribus homogeneis sive similaribus, & heterogeneis sive dissimilaribus, quæ membra dicuntur; & secundum has omnes nutriri dicitur. Quia enim omnes nutritivæ potentiæ radicem, animam, in se habent, non in una quadam parte determinata, tanquam subjecto, sed toto corpore vivente & singulis ejus partibus est illa potentia nutritiva, cujus beneficio omnes nutriuntur. *Ruvio Rhod. lib. 2. de an. tr. de pot. an. veget. quest. 3.* Cum hac tamen differentia, ut heterogenæ, cerebrum, cor, pes, manus; & in arbore truncus & ramus primò à natura intendantur nutriri, tanquam proxima vitæ organa, & omnium actionum: primo tamen iterum receptio fiat homogeneis, carne, osse, fibris &c. Has enim procurat natura nutriri ut dissimilares nutriantur, quarum illæ, materia, qua constant, existunt. Quia autem dissimilares non nutriuntur, nisi quatenus similes nutriuntur, etiam ad similarium, tanquam proximæ materiæ reparationem nutritio pertinere videtur, ideoque, & in his potissimum nutritio consideratur, hæque materiæ in qua, sive subjecti, primario nomine veniunt. *Confer Zabarell. lib. de accret. & nutrit. cap. 18.*

XXXV. Omne autem vivens necessariò & semper nutriri; neque nutritionem sine vitæ periculo cessare, aut aboleri posse, communem sententiam *Arist.* qui in specie hoc testatur *lib. 1. de gen. & corr. c. 5. t. 47. lib. 2. de an. c. 4. t. 47. & lib. 3. c. 12. t. 59. Averrois. Avicenna. Alberti M. plerorumque Philos. & Med. rectè asserere putamus, & sic quod rudi formula, ventrem carere auribus, insinuatur, id philosophico illo Aphrodisæi axiomate confirmamus, vacationem à sensuum officio somnum esse, ab altrice facultate mortem. Non autem propterea, ut calori nativo objectum detur, in quod agat, & sic is ab actione in humidum primigenium, celerique illius consumptione avocetur. Sed quia corpora viventium in perpetuo fluxu sunt, & continuo aliquid de eorum essentia dissipatur & absimitur, ut hæc jactura resarciatur, & quod absumptum, alimento in locum ejus reposito, inque corporis substantiam mutato, instauretur. Tum quod vis vegetativa non*

non ita à suis operibus facile quiescat, ut animalis; in eo enim cum natura convenit, & eapropter à Medicis quoque naturalis dicitur, quod semper eodem modo agat, nec ita ad utrumque oppositorum nota sit.

XXXVI. His duabus, tertiam quidam addunt, quo majorem vim affundere putant: quod cum cessatio omnium operationum vitalium mors sit, & sic necessarium sit, ut si non omnis, aliqua tamen illis, vivens, per totum vitæ tempus comitetur: Hoc autem non accretio, neque generatio, E. nutritionem. Sed offundunt, & inspectam potius reddunt. Non enim ob accretionis & generationis effectum necessario pro comite ponenda est nutritio, cum his tribus numerus operationum vitalium non absolvatur, & dentur adhuc viæ, quæ arctius cum anima junctæ, præsentiam animæ, & per hanc, vitam manifestant, ut sunt in plantis vivificatio, sive vis, qua non solum plantæ sed & earum partes avulsæ, imò & semina integra, vegeta & fecunda aliquandiu permanent; in animalibus sunt operationes, à irascibili, spiritus calorisque generatrice, & pulsifica promanantes, quæ ad ultimum usque vitæ terminum perdurant, quæque proprius vitales vocantur, & ab illis, rectius naturalibus dictis, non solum cogitatione sed & ipsa essentia distant, quæ veritas Aristotelem tenuit, qui vel nullam ejusmodi vim seorsum nobis insidere, vel cum generatrice sive naturali eandem esse putavit, hinc arctius debito nutritionem cum vita, ad momentaneam quasi necessitatem ligavit. Vide *Arnel. l. 5. de an. fac. c. 12. & 13. B. Sennert. in instit. Med. l. 1. cap. 11. supra citatum Venerandum nostrum Dn. D. Sebizium fasc. 13. quest. 17. disp. 12. de art. parv. corollar. 2. & 3.*

XXXVII. Illud ergo τὸ necessarium & semper, quo vivens nutrirî diximus, sano sensu intelligi volumus; licet enim continua sit actio caloris in humidum, & corpora viventia, potissimum animalium, maximè verò humana, in perpetuo fluxu sint, non tamen semper externum alimentum vel assumatur, quo fit externa nutritio, neque semper & continuo fiat conversio alimenti assumpti in substantiam, quæ interna est nutritio; neque semper æqualis sit absumptio, absumptæque restitutio, sed ut loquuntur *Conimbr. de gen. & corr. l. 1. c. 5. q. 10. 2.* multiplici decoctione prius alimentum præparetur, deinde concertat vis nutritiva. Cum *ijisdem l. c.* non opus esse putamus, ut quoad ipsam conversionem semper in actu sit; sat esse in opere versari, vel quoad aliquam è tribus prævijs decoctionibus, vel quoad munus con-

vertendi, vel quoad actionem attrahendi, vel quoad eam, qua de-
ciente alimento calor natus in ipsam substantiam viventis agit, eam
que depascit. Hinc adverbium, semper, hic non significare, continui-
tatem temporis, sed omnibus temporibus, ut si dicamus omnibus die-
bus, sic enim fit omnibus diebus vitæ nostræ aliqua conversio alimen-
ti, in partes solidas, Zabarell. lib. 2. de an. text. 14. vel ut loquitur in
signis quondam Philosophus, nunc Theologus Dn. D. Dannhavver
in disp. 2. controvers. 4. colleg. Psycholog. τὸ semper opponitur auctori
& distribuit pro qualibet ætate, quod in qualibet ætate vivens nu-
tritur.

XXXVIII. Hæc autem si non fit, & corpus alimento ne-
cessitate reficitur, tandem sequitur ordine naturæ contabescencia & consum-
tio, quæ marcor & marasmus dicitur, & vivens de sua vita periclitari
incipit. Id quod Hippocrates lib. περὶ σαρκῶν circa finem (pro quo apud
Sennert. lib. 3. p. 1. f. 2. c. 2. med. pract. dubio procul vitio Typographi lib.
περὶ ἀσθενῶν, qualis nullus extat, citatur:) septimo die fieri putat. Quod
negat Plinius lib. 11. c. 54. (pro quo rursus vitiose apud Sennert. loc. cit. c. 2.
citatur) & in plerisque lethales inedia ultra undecimum durasse ce-
tum facit, quod experientiam probare, variis exemplis Sennertus ibi
ostendit.

XXXIX. Quod verò semina plantarum, ova, radices, bulb
& ipsæ plantæ, diu sæpè sine nutritione viventia & vegetantia conse-
ventur. Animalia, non saltem quæ imperfecta, sed & perfectæ de-
euntur, sæpè longo tempore nihil cibi sine ullo vitæ dispendio assu-
mant; ut de urso testatur Aristot. lib. 8. hist. an. cap. 17. quod ad mini-
mum dies circiter 40. ita lateat, & pinguior fiat, quod prius, de urso
Gesnerus intelligendum esse, ursam vero longius, & quidem quatuor
menses ita latere scribit. De gliribus, quod per totam hyemem sine
alimento maneant, & etiam pinguescant, præter Aristotelem; Martialis
distichon loquitur.

Tota mihi dormitur hyems, & pinguior illo

Tempore sum, quo me, nil nisi somnus alit:

De hirundinibus experientia fidem facit, quod plurimæ non in Affri-
cam avolent, sed adveniente hyeme in unam congeriem colligatæ, sub
aquis demersæ jaceant, vere autem appropinquante reviviscant. Et de
avicula illa, quam Brasiliæ incolæ propterea SUSCITATAM vocant,
Indicarum rerum scriptores, quod rostro ex arbore suspensa, sex
integros menses sine pabulo vivat, & postea quasi à morte ad vitam
redeat

edeat. Homines, sine cibo & potu omni, non saltem ad aliquot dies, sed menses & annos, hosque 10. 15. 30. 40. & plures vixerint, variasque animi operationes adhuc expeditas habuerint: quorum auctores & relationes præter alios collegit *Sennertus loco paulo ante citato*: Inquirendum erit, quomodo talia sese habeant, maximè cum multa ex his insolita & admiranda sint,

XL Semina autem plantarum, ova, radices, & plantas primò quod attinet, res cognitu minus difficilis erit, si consideremus, quod *abarell. comm. in lib. 2. de an. r. 37. & Sennert. Hypomn. 4. c. 7.* notat, vitam dupliciter sumi, vel pro actu primo, seu ipso esse viventium, vel pro secundo actu, & ipso operari. Has igitur res tanquam partes à toto avulsas, terræque fomentali succo privatas, credimus, non tam actu secundo, quam primo vivere; hincque cum hæc vita imperfectior sit, nutritione proprie non indigere, neque eandem ipsis competere; ex eo, quod nutritionem, actu secundo saltem viventibus, & perfectè conformatis, *Sennertus loc. paulo ante citat.* adscribat; interim fori interno illo & superstite humore è terræ gremio, sicque conferri vegetas & sæcundas, usque tandem absorto & dissipato illo humore, succoque radicali, planè emoriantur, & aridæ fiant. Quod in quibusdam citius, in aliis tardius accidit, prout internus ille succus in tenuitate & crassitie substantiæ variat, quo enim crassior pinguior is est, magis cohæret, & calorem fovet, quo tenuior, citius dissipatur & resolvitur. *Conimb. 2. de gen. & corr. c. 5. quest. 9. a 1.*

XLI. De animalibus etiam res tam spinosa, & à nostris sensibus abhorrens non est. Accidere enim hæc fatemur, hisce animalibus secundum naturam, & singulis annis, ut ab externo alimento aliandiu abstineant. Quia frigore hyemali, tum ipsorum pori cutanei constringuntur, ipsaque cutis densior redditur, ut nihil de essentia eorum corporum expiret, & dissipari possit: tum calor ad interiora transfatur & obtunditur, ut nihil vel exile saltem ab ipso consumi possit, sed in suo statu corpus relinquere cogatur. Neque interea plane non nutriuntur, sed per id tempus, quo latent, suo sibi succo vivunt, *de cochleis Plautus in Captiv. act. 1. sc. 1. loquitur*, & sic aluntur colluam antea coacervata concreti & in digesti humoris, quem Medici pituitam referunt, & humorem, succumque crudum per eminentiam vocant, ut videre est apud *Galen. de aliment. fac. lib. 1. cap. 9. & de ind. sanit. lib. 4. cap. 7.* qui diu istis animalibus sufficere ad nutriendum potest, ut alius alimenti usu opus non habeant. Cum enim calor

nativus in istis animalibus, jam antea satis debilis, hujus succi frigidi-
tate, copia & crassitate, cui accedit segnis eorum quies, magis langue-
scat & hebetetur, non nisi admodum lente istum humorem concoquit
& consumit, sicut enim ligna humida ignis nutrimentum, tardius a
igne, comburendo afficiuntur, imò sæpè flammam sopiunt; sic su-
cum illum crudum, antequam prorsus adsimiletur, & concoquatur
spatio egere, & suo frigore calorem obtundere, in homine, docet
Gal. de Temperament. lib. 3. cap. 5. & 9. quid fieri putandum in istis ani-
malibus, quæ pleraque humidioris & frigidioris constitutionis esse
deprehenduntur? ut de urso in specie loquitur *Gesnerus in suo libro de
quadrupedibus*, quod sit valde frigida, humida & pituitosa natura.
Hinc facile quoque innotescit, cur eo tempore ursi & glires pingui-
scant, quia scilicet corpora ipsorum vel omnino non, vel admodum par-
rum consumantur, & præterea isto humore crasso & crudo pascan-
tur, qui cum in substantiam partium assimilari non opus habeat, in
arvinam & adipem convertitur.

XLII. De homine vero, qui nobilioris naturæ, res magis
perplexo est, semperque ancipitem cogitandi curam attulit; Van-
enim varias stupendarum istarum abstinentiarum rationes attulerunt
quas prolixè satis *Sennert. lib. 3. med. pract.* recensuit, & examinavit
hic breviter saltem indicare sat erit. I. quidem, Alij fabulosa ejus-
modi exempla putant, talesque homines magnas fraudes fraudos esse
ut cum Plauto loquar. Verum licet quædam fabulosa mixta sint
multa tamen etiam Magistratum, aliorumque fide dignorum testi-
monio comprobata, in dubium vocari non possunt. II. Alij mira-
culosè & sola divina virtute talia præstita credunt. Quod in quibus-
dam jejuniis quidem admittitur, non autem omnibus, minimè in
ubi nulla divinitatis, miraculi que causa & indicium subest, aliæque
causæ propiores inquirentibus occurrunt, à divino posse, ad ipsorum
effectuum naturalium esse incautè concluditur. III. Alij angelos
bonos clam cibum talibus suggerere, sicque nutriri illos potuisse ajunt.
Sed minori probabilitate prioribus, & sic eadem responsione facili-
arguuntur. IV. Alij talia corpora non viventia, sed cadavera, à dæ-
mone quodam assumpta & mota volunt. Quod licet fieri possit, in ma-
tis tamen id factum fuisse, actiones, durante ista abstinentia, & post
peractæ, imprimis, quod cibum rursus sumserunt, liberosque pro-
creaverunt, omninò negant. V. Alij à dæmone obsessos fuisse, ejus-
ope tam diu jejunasse dicunt. Quod iterum divino permisso fieri
potuit.

potuit, in omnibus vero, vel saltem plerisque, id factum fuisse, nulla
modo contraria indicia habentur. VI. Alij ad peculiare cœli in-
fluentias rem hanc referunt. Quæ sicut negari neque possunt, neque
debent, ita cum sint causæ remotæ & communes, in illis acquiescere
minime licet, sed in proximam inquirendum est. VII. Alij ad oc-
cultas & individuales qualitates confugiunt, idemque hic accidere
opinantur, ac in illis, qui feles, caseum, vinum, aliaque averfantur.
Sed cum sint congenitæ, & per naturam insint, jejuniorum istorum
præter naturam sese habentium causæ esse nequeunt: potissimum
cum non per totam vitam duraverint, sed tandem in plerisque cessa-
rint. VIII. Alij per consuetudinem in habitum tractam hæc
facta esse credunt, cum certum sit, quosdam medicamentis, ipsisque
venenis ita assuevisse, ut nullo modo ab illorum usu læsi fuerint. Ast
vim maximam consuetudinis, & jus esse in certa opera, conceditur,
non autem in omnia, exemplaque diu jejunantium docent, ejusmodi
homines, non consuetudine, temporisque morâ, sed subito à cibis ab-
stinuisse, repenteque ad eos rediisse. IX. Alij inspirato aëre non
quidem puro sed aliis elementis mixto tales nutritos fuisse perhibent.
Sed aëre non nisi spiritus reficiuntur, corporis verò humani nutritio
solidiori alimento, & in specie perfectè mixto, neque hoc omni, sed
solum vel partibus, vel fructibus animatorum, qualis aër non est, in-
diget. X. Alij aëri exhalationes permisceri, hisque in sanguinem
versis, tales jejunantes nutriti asserunt. Sed neque istæ exhalationes
corpori nutriendo sufficiunt, neque in sanguinem verti, sunt idonei.
XI. Alij uno simplicis aquæ potu tales vitam produxisse innuunt.
Sed simplex aqua, non magis ac aër, & prædictæ exhalationes, sufficit,
vel cadit in nutrimentum corporis nostri, sed inservit saltem ad calo-
rem refrigerandum, & vehiculi loco ad distributionem alimenti, ut
omnis potus. XII. Alij illos terrâ clam devoratâ & ingestâ, vitam
sustentasse autumant. Verum experientia illorum, qui satis accura-
tè observati fuerunt, dissentit: neque terra in sanguinem mutari ido-
nea est. XIII. Alij de hisce idem pronuntiant, quod supra de ani-
malibus, nutriti illos simili crudo & pituitoso succo tam diu potuisse,
cum calor ipsorum debilis fuerit. Verum cum plerique istorum ven-
trem contractum, corpusque emaciatum habuerint, & post febres
acutas in talem abstinentiam lapsi sint, magisque melancholici humo-
ris signa apparuerint, minus probabile est, tales succo illo pituitoso
abundasse; neque hunc, cum calore debili, in causam duci posse, nisi

senes æquè diu idem præstare posse, falsò statui debeat. XIV. Alii colliquamentis partium internarum istos nutritos fuisse, occasionem statuendi sumunt, quod eisdem emaciatos legamus. Verum tales colliquationes quidem contingunt, id tamen quod colliquatur, neque in chylum, neque sanguinem mutatur, sed vel per alvum excernitur, aut discutitur. XV. Alij melancholicū humorem in causam trahunt; quod plerique ex illis melancholici fuerint. Hanc sententiam veri quidem in se aliquid continere ait Sennertus, sed non simpliciter hunc humorem causam dici posse, quia multi isto abundant, qui tam minimè ab alimento abstinent, ut voraces potius sint; siquidem etiam Medici inter potissimas causas nimix, ut & caninx appetentix, talem humorem melancholicum, à liene per vas breve in ventriculi fundum eructatum, propter suam aciditatem, referunt. Ut præter Medicos practicos videri potest *Bauh. in Tract. anat. lib. 1. c. 15. & 43. Et nob. Sebizius noster exerc. med. 14. probl. 1.*

XLIII. Hisce omnibus sepositis Sennertus magna probabilitate de hisce abstinentiis stupendis, tandem propriam sententiam fusius in hunc sensum eloquitur. Eiusmodi hominibus aliquid præternaturam accidisse, putandum esse, ob quod instauratione nulla operari habuerint: Illud autem esse; quod aut nihil omnino, aut non nisi longo tempore aliquid absumtum fuerit, & sic cessante ratione nutritionis, ipsam quoque necessitatem nutritionis, sed præter naturam cessasse. Hoc autem provenisse à certa dispositione humoris, qui corpus nostrum conservat, cùm conjuncta proportione ejusdem ad calorem, ut ab eodem non nisi longo tempore absumi potuerit. Possunt autem talem humorem ita disponi, eleganter concludit à lucernis istis antiquorum, quæ Romæ aliisque Italiæ locis repertæ sunt, quarum flamma aliquot secula, & nominatim ad, & ultra 1500. annos duravit; ut & illis exemplis, quæ docent, posse materiam, alias exhalabilem, & inflammabilem, fixatione & densatione potissimum ita præparari, ut in igne subsistat, vel tardè ab eo absumatur. Quo modo etiam pyraustarum humorem dispositum esse credendum est, quod in igne durent. Dispositionem autem istam humidi radicalis, præcipuè ab humore melancholico, quo plerique istorum abundarunt, evenire. Siquidem inflammabilia admixtione acidorum, & salforum, fixorumque talia fiant, ut vel non accendantur, vel tardè deflagrent; humor autem iste atrabilarius sæpè tam acidus sit, ut dentibus & nervis stuporem inducat, incredibile non esse, ab eo, si

o, si insuper peculiarem & occultam dispositionem & qualitatem
acquirat, ad quam recipiendam sua natura aptissimus est, humorem
ostri corporis, si per totum corpus diffundatur, ita disponi, figique,
actioni caloris resistat. Peculiarem autem dispositionem in ple-
risque ab utero accepisse, plerasque enim puellas fuisse, eaque ætate,
qua menses erumpere & semen generari solet. Notissimum autem
Medicis esse, quam mira symptomata à mensibus & semine retentis,
corruptisque accidant, & inter ea etiam appetitus aboleatur.

XLIV. Cum vero corporis viventis, ejusdemque partium,
substantia, ex una parte successive & paulatim consumantur & resol-
vantur; ex alia vero parte alimentum in ejusdem substantiam conver-
tatur, ut id, quod deperditum est, restituatur; hæcque mutationes &
variationes per totam vitam durent, non immeritò intentis animo-
rum contemplationibus Philosophi illustrarunt, an ipsum subjectum
per totum vitæ tempore, quo nutritur, semper idem numero maneat, ita ut
et. gr. Senex à se puero non ita differat, ut alius sit homo dicendus?

XLV. Communis quidem hominum existimatio est, ean-
dem numero plantam, idem numero animal, eundemque numero ho-
minem, ab ortu ad mortem usque servari arbitrantium. Cui com-
mune quoque peripateticæ scholæ decretum ab *Arist. lib. 1. de gen. &
corrupt. cap. 5.* traditum attestatur. Cum autem continua partium re-
stitutio, novarumque aggeneratio, difficilem hanc sententiam facere
non possit, quomodo id fiat, expressit *Arist. ibid.* verbis, κατὰ τὸ εἶδος, ἢ κα-
τὰ τὴν ὕλην, h. e. secundum formam, non vero secundum materiam.
Interpositores textuum Aristotelis explicarunt græca hæc verba, per se-
cundum partes formales, non autem materiales, hisque verbis varios
sensus affinxerunt, ut testantur *Conimbr. comm. in hoc caput. quest. 12.*
Alij enim per formales, illas intelligendas esse voluerunt, quæ poros
habent, per materiales verò compactas & solidas, quia secundum illas
facilissimè fiat nutritio. Alij per formales, organicas sive dissimilares,
per materiales, non organicas sive similes. Alij per formales, partes
extensivas, quæ actionem edere possunt, per materiales, ijs mi-
nutes, quæ actionem edere nequeunt. Alij per formales, humidum
primigenium, quod hoc subjectum animæ fixum & stabile maneat;
per materiales, illas, quæ per nutritionem demum accedunt, & rursus
resolvuntur. Conimbricenses hæc enarratas interpretationes rej-
ciunt, & duas sequentes probant. Unam, qua per partes formales
communis essentiæ ratio sive species, per materiales verò, ratio indi-
vidua

vidualis intelligitur. Quia ratio specifica cujusque rei formalis dicitur, individualis verò pro materiali habetur, ita ut licet partis natura singularis, hæc scil. caro, per naturæ fluxum varietur, communis tamen natura in qualibet servatur. Alteram, qua partes formales ratione formæ, materiales verò ratione materiæ, tales dicuntur. Hisque ita constitutis ad quæstionem respondent, ut videre est. *Ruvio Rhod. circa hanc quæstionem dicit*, Aristotelem hic non substantialem formam, sed quartam speciem qualitatis, quæ figura dicitur, secundum quam quælibet pars augeri, eademque semper manere, rectius dicitur: per materiam vero, hanc vel illam partem ipsum intelligere. Ex quibus omnibus, penultima quidem cum rei veritate, ultima verò cum contextu Aristotelico consentire, nobis videtur.

XLVI. His prælibatis tres potissimum opiniones notanda sunt, quibus hæc quæstio deciditur. Prima est eorum, qui vivere non per totam vitam idem numero manere asserunt, quia neque eadem materia, neque forma numero manet, nisi secundum æquivalentiam quandam; quia non simul omnes partes renovantur eodem tempore, quod numero diversi generationem inferret, sed pars per partem. Proptereaque corpus per nutritionem successive renovatum comparant cum vase pertuso, quod licet ex eo aqua infusa continuè effluat, idem tamen semper manet. Cum pallio mendici, sub eadem forma sæpè sarto & resarto. Cum mari, quod perpetuo partes amittit, aliasque recipit. Cum navi Thesei, quæ successive singulis tabulis exemptis, aliis ita refecta fuit ut eandem formam planè retinuerit.

XLVII. Secunda est illorum, qui distinguunt inter viventes quorum animæ indivisibiles, ut hominis & animalium perfectorum & quorum animæ divisibiles dicuntur, ut plantarum & animalium imperfectorum. De illis concedunt eadem numero manere, ex parte formæ, quia propter indivisibilitatem nulla pars formæ, sed solius materiæ deperdi possit. De his verò, quia ipsorum formæ ita dependent à sua materia, per educationem è sinu materiæ, ut quælibet pars formæ sit determinata, ad quamlibet partem materiæ, hinc sicut si solvitur pars materiæ, ita & partem formæ perire; & ut novæ partes materiæ per conversionem alimenti accedunt, ita & novas simul partes formarum, de potentia materiæ earum educi, itaque & ratio materiæ, & formæ, variari corpus. Ex alio respectu verò corpus idem manere dicunt, quatenus scil. non omnes partes integrantes variæ statuunt, quædam enim fluentes esse, quas vel nutrimentales, v

mollis

molliores, quasdam verò permanentes, quas vel spermaticas, vel duriores & solidiores vocant, illas quidem continuò fluere & consumi, has verò augeri, nunquam autem imminui vel variari perhibent. Harumque ratione, corpus, idem numero manere, quod ratione illarum, variatur.

XLVIII. Tertia & verior est sententia: quod, cum forma sit principalior pars rei, à qua numerica ejus identitas præcipue sumitur, ipsum corpus quodcumq; vivens idem numero permanere, recte dicatur, ex principaliore ista parte, forma; quæ per totam vitam penitus eadem numero, tam secundum totum, quam partes manet, neque fluente aliqua parte materiæ, cum illa fluit, sed ad alias remanentes materiæ partes retrahitur, non sui ipsius duplicatione, sed virtuali contractione, qua, sine quantitatis augmento vel decremento Angelus sese per totum Musæum diffundere, & liberè in punctum retrahere potest, *ut verbis utar Eximij nostri Dn. D. Dannhavv. Colleg. Psycholog. disp. 1. controv. 4.* adveniente verò nova materiæ per alimenti conversionem, non ex illa absurda scholasticorum educatione formarum, nova protinus pars formæ, quæ antea non fuit, producitur, sed præexistens in toto ad illam informandam & animandam transit: Neque hanc sententiam impugnat impossibilitas migrationis formæ de subjecto in subjectum, quia hæc à philosophis saltem statuitur, qua forma totum suum subjectum derelinquit, & eadem numero ad aliud transit, non verò qua forma, ut fit in nutritione, in toto manet, & ad extensionem corporis, per aggeneratas novas partes materiales sese multiplicando, coextendit & diffundit. Neque obest, quod hoc modo anima permobilis fiat, cum tamen *Arist. 6. Phys.* motum corpori propriè, per accidens verò formæ, & propter corpus concedat; vel animam ad informandam novam aggeneratam materiam, migrat anima non per motum, sed modo quodam alio nobis occulto & abscondito, vel si motu, non erit is corporeus, mutando locum; sed motus rei incorporeæ extensæ, mutando ubi, qualem de Angelis ostendit *Scalig. exerc. 359. f. 12.* Sed de his fusius videri poterit *Zabarell. de accret. & nutrit. cap. 16.*

XLIX. Cum autem rursus per materiæ aggenerationem, in qualibet parte viventis corporis, semper quam benignissimè restituatur id, quod continuo absimitur, videntur partes per hanc sui renovationem, corporis firmitudinem, vitæ perpetuam durationem, mortisque in æternum evitacionem, ex naturæ conditione promittere.

Qua, junctis quæ ab animæ immutabilitate, temperamentorum mutatione, aliisque ad verisimilitudinem progredientibus rationibus, multi decepti, omino ita statuerunt. *Galenus lib. de Marasmo cap. 2.* sui ævi Philosophum fuisse narrat, qui 40. suæ ætatis anno, libro edito ostendere conatus est, quomodo liceat senectutis exortem in totum permanere, quodque nullum animal nisi faciendorum ignorantia moriatur, ac senescat; Cum autem octuagesimo ætatis anno, adeo gracilis ac siccus erat, ut facies Hippocratica, in *prænotionum lib. aph. 6. & 7. descripta*, in imminentis mortis præsagium, ipsi competeret, ab aliis deridebatur, ipse edito secundo eodem libro addidit, ad hæc requiri etiam naturam idoneam, & ut primum alimentum ejusmodi fundamenta jaceret, promisitq; si idoneis infantibus statim ab initio præficeretur, se ipsorum corpora immortalia facturum esse. Quam promissionem ipsius redargui non potuisse, per jocum ait Galenus, qui antequam pueri in viros evaderent, ipse moriturus erat; ipsius stultitiam tamen ab omnibus damnatam fuisse. Idem multi alchymia artis professores, per aurum liquatum & potabile, ut vocant, ut & lapidem suum philosophicam, præstare promittunt. Verum cum ipsi adhuc tale potius optent, & sperent, quam habeant, idem facile accidere poterit, quod ille speravit, qui asinum loqui facere promiserat, ut interrim dominus aut asinus moriatur.

L. Nos per experientiam edocti quotidianam, non obstantem renovatione ista per nutritionem, cum Galeno, ex communi saniorum sententia, senectutem quidem & mortem omni viventi secundum naturam ejusque legem accidere, neque ab ullo evitari posse pronuntiamus; non autem ut ita secundum naturam dicatur, velut nutriri & augeri; hæc enim sunt vera opera naturæ, senectus verò & mors non sunt opera, sed affectus ad opera illa naturæ ex necessitate sequentes. *Vallesius lib. 6. controvers. med. & philosoph. cap. 1.* hanc mortem tam ex naturæ lege, & non ex errato, advenire statuit, ut etiam à Medicis dubitatum sit, an fiat omnino citra morbum aliquem, aliis asserentibus cum quibus Plato est, qui in *Timæo*, mortem hanc cum voluptate fieri dixit; aliis negantibus, fieri posse, ut ante integram extinctionem, ex debilitate caloris naturalis, non incipiat fieri putredo, quandoquidem hæc de sententia *Arist. 4. meteor.* sit communis omnium rerum interitus.

LI. Hujus assertionis *Galenus quidem lib. & cap. cit.* præter experientia notitiam, nullam evidentem rationem haberi, sed probabile

m sa'tem docet; Id tamen *Vallesius dicto loco* non ex rei contingentia, sed nostri intellectus defectu oriri testatur: quia quod perpetuò fit, & naturæ lege necessariò fit, ejus quoque necessaria & perpetua causa existat, necesse est. Quam hoc loco duplicem à Galeno, Vallesio, & aliis designatam, legere est. Vnam, quæ ab omnibus ferè Medicis & Philosophis, expressa & probata est, calor scilicet viventium consumens humorem proprium, & sic illum ignis flammæ comparant, quæ propriam materiam depopulatur, atque ita se ipsum conficit. Galenus hanc negat, & calorem naturalem causam corrumpentem non esse, sed firmiter asserit, ut etiam librum Hippocratis, in quo hæc causa verbis sequentibus exprimitur: *Occidit itaque nos calor, qui corpus produxit*; vel non ipsius genuinum esse, vel hoc ipsius dogma alio sensu donandum esse velit. Quia calor naturalis viventium est facultatum Instrumentum proprium, principium conservans & augens suum corpus, quod non urat, neque absumat, sed ad coctionem deducat & auget, & nisi ex inedia, vel alia quapiam ratione igneus fiat, minimè membra consumat, dum autem consumit, mutatus sit in igneum, & hoc quod isti calori naturali imputant, id caloris febrilis proprium esse dixerit, *Fernelius lib. 4. de spirit. & calid. inn. cap. 8.* hanc litem dirimit, docendo, calorem naturalem non per se & ex instituto hoc facere, ut hostis instar, causa corrumpens sui domiciliij, sui que ipsius existat, sed ex accidente & aliud agendo. Gaudet siquidem & jucunde fovetur humidi commercio, non magis ac elychnij flamma, oleo, tanquam suo abulo, quo se ipsum conservare & perficere naturaliter desiderat, eodem item ipso fruendo, ipsum consumit, ejusque interitum, quem non appetit, necessario adfert; imo dum ipse conservari appetit, hoc modo metipsum conficit & interimit. Ex quo, quomodo eadem ortus & interitus viventium causa sit, idemque calor naturalis, qui nos generat, nutrit & auget, tandem extremum vitæ diem morte conficiens, interitus nostri causa naturalis fiat, intellectu facile est.

L II. Altera causa est, quod pro deperdita substantia humida, naturalis in principio generationis fuit, non æque coctus & elaboratus viscus, sed deterior minusque humidus, commodo ipsis partibus humore, vel exquisitissima vivendi lege reponatur. Nullus enim alieni humor potest esse tam accommodatus viventis partibus, quam visus ipsorum. Hinc fit ut semper minor substantia humida in partibus, maximè solidis, fiat crescente ætate, & sic sensim membra siccificent, usque dum tandem omninò inarescant, calor consumpto

omni humido & ipse obsolescat, corpusque, quod ab initio caloris & humoris nativi summum complementum habuit, postremo vitæ diu ficcissimum & frigidissimum ratione sui efficiatur. Quomodo autem hæc innati calidi inclinatio, status mutatio, per ætates fiat, vide perspicue & accuratè tractatum à Fernel. cit. lib. & cap. Nos cum Galei verbis libri de marcore cap. 6. senectutis marcorem exoluere impossibile esse, auxilium verò ferre, ut quam diutissimè extendatur, possibile, concludimus. Deumque, cujus mirabilia ex parte contemplati sumus, ut Omnipotentem, Omniscientem & Clementissimum, humili devotione veneramus.



A d Nobilem & præstantissimum Dominum
Respondentem.

UBere quem tenero nutrit diserta Minerva,
non certè curam corporis, ille gerit.

Ergò quid curas alimenta, fidelis amice,
quæ corpus foveant, non animumque simul?
Fallor, an hæcce, Tibi properanti ad jatrìca castra
lecta, viam debet pandere, materies?

Quo si contendas, meritò Tibi gratulor, atque
corde precor, bona fors ut Tua cepta regat.

Ἦς φίλιος ἔνεκα

approperabat

Martinus Christophorus
Mezger, Vien. Austr.

F I N I S.